

in triduo passionis a corpore separato, utrum divinitatis unitate perseveraverit? Cum enim apud Brixiam Jacobus Marchianus, Ordinis Minorum, die Pasche sermone ad populum habens, inter cetera afferens, presertim Christi sanguinem, dum triduo illo jacuit in terra sparsus, indignum fuisse laetitia cultum, quoniam sicut, & a corpore Dominico separatus, hypostatice Verbi unitatem protinus amisisset: Hec audientibus quibusdam hereticae pravitatis, Ordinis Prædicatorum, illic Jacobo præcepit revocare tanquam erronea quæ dicerent, & in verum contrarium sententiam per unum & sui prædicari fecit, Crescente concione, & schismate in populo facta, nec valente Episcopo loci tumultum sedare, res ad Apostolicam Sedem remisit. Quæ de re Pius II. eo tempore Summus Pontifex, præfatis Ordinibus mandavit, doctissimos eorum Theologos ad Curiam mittere, quos in festo Natalis Domini audientibus disputantes tribus diebus in palatio Apostolico, præsentibus Cardinalibus, Episcopis, ac divini & humani juris Doctoribus qui in curia erant. Denique post triduum, cum partes quæcumque voluissent, in medium produxissent, disceptatione audientibus, Pius cum Cardinalibus, plerisque diebus rem tractasse: majorem partem sententiam Prædicatorum approbasse, paucos cum Minoribus sensisse. Pium quoque in majore parte fuisse, sed non visum eo tempore decretum fieri declarationis, ne multitudine Minorum, cujus erat contra Turcas prædicatione necessaria, offenderetur; ac propterea in aliud tempus decisionem referri placuisse. Quam tamen nunquam placuit decidere: sed biennio post Avuncus, dum esset navigaturus in Turciam, Caleniis Augusti 1464. die ante obiitum 15. constitutionem edidit, quæ, ad pacem inter illos Ordines, & in universa Ecclesia hæc questio conservanda, statuit nulli licere opinionem negantem sanguinem Christi in triduo passionis a corpore separatum, divinitatis unitatem permanisse, ut hereticam profiteretur, donec per Sedem Apostolicam quid in hujusmodi questione sentiendum esset, designaretur. Hæc Spondanus.

Verum licet propter hujusmodi Constitutionem non possit hæc opinio ut heretica damnari, est tamen a Scholis profusa eliminata, & ut ait Suarez, neque pia, neque secura est. Non videtur etiam rationi consentanea. Nam si fuisset in triduo consecratus calix, vel relicta essent species vini consecrati in cœna, tunc sub speciebus vini fuisset ex vi verborum sanguis Christi, & per concomitantiam divinitas, sicut tunc de factis contingit, ut docet Tridentinum sess. 13. cap. 3. nam tunc etiam vera fuissent verba Christi Domini Joann. 6. Qui bibit meum sanguinem, in me manet: At divinitas non est per concomitantiam in speciebus vini, nisi propter unionem ad sanguinem, ut ex eodem Tridentino ibidem colligitur: Ergo sanguis Christi in triduo mortis manit hypostatice Verbo Divino unitus.

Confirmatur: Ideo corpus Christi & anima in triduo, adhuc disjuncta inter se erant unita hypostatice Verbo Divino, quia erant partes humanitatis ipsius, quam item debebant componere in Christo glorioso, ut communiter docent Theologi cum S. Thoma in 3. dist. 2. art. 1. quæstione 3. ad 3. At etiam sanguis in passione fusus, erat pars humanitatis, quam iterum in Christo glorioso debebat componere, cum corpus Christi post resurrectionem deberet esse integrum & perfectum: Ergo sanguis in passione fusus, manit in triduo Verbo Divino hypostatice unitus.

Ex quo facile intelligitur, cur sanguis Christi in circumfusione fusus non manserit Verbo Divino unitus, bene tamen ille quem in passione affudit, cum enim sanguis in passione fusus, a Christo reallimendus in resurrectione, propter integritatem sui corporis, debuit in triduo manere Verbo Divino unitus, sicut propter eandem rationem caro & anima tunc manserunt eidem unita: e contra vero cum sanguis in circumfusione fusus, non fuisset ab ipso reallimendus in resurrectione, utpote ad integritatem sui corporis minime necessarius, non debuit post separationem a corpore, manere Verbo Divino hypostatice unitus.

Idem cum proportione de præputio in circumfusione abscessu dicendum est: nam illud non fuisse unquam postea corpori Christi confertum, ac ne post resurrectionem quidem, constat tum ex revelatione S. Birgitte, quam supra retulimus, tum ex variis narrationibus, quæ de eo præputio, ejusve particula quæpiam, certis locis nunc allata, circumferuntur in sacris historiis: Illam enim Rome in Basilica Lateranensi, eo loco, quem vocant sancta sanctorum, extare scribit Innocentius III. lib. 4. de myst. cap. 10. nihil tamen definire ausus. Gerfon part. 4. ferm. in festo Pasche, ait vulgo referri Christi præputium Parisiis in palatio, & Brugis (nempe per partes) asservari. Rufus Franciscus Costerus meditatione 4. ex 50. quas de vita Desipare edidit, testatur urbem Antverpiensem, priusquam a Geusis hereticis anno 1566. occuparetur, hoc thesaurum gloriantem esse. Ancienfes quoque Christi Domini præputium inter sacras reliquias visendum exhibent, ut scribit Odo Giffeus lib. 1. historie Ancienfis cap. 17. Tandem idem Auctor visa a se scribit perantiqua monumenta Abbatis Conquentis, in dicelesi Ruthenensi, qui

bus narratur concredidit a Casolo Magno et Abbate præputium Christi. Sed quidquid sit de loco ubi sacrum illud pignus asservatur, omnino ex tam multis rationibus efficit videtur, Christi præputium in circumfusione abscessum, nunc in terris retineri: ut enim omnes illa narrationes rejiciantur tanquam falsæ, nec Christiana modestia finit, nec miracula in hujus rei confirmationem dignitatis patrata permittere.

DISPUTATIO X.

De ordine Assumptionis.

Ad quæst. 6. Divi Thomæ.

Consideratis duobus extremis unionis hypostatice, nimirum persona essentia, & natura assumpta, agit S. Doctor quæst. 6. de modo assumptionis quantum ad ordinem, seu de ordine quo Verbum Divinum humanitatem & partes ejus assumpsit: Circa quod pauca occurrunt dicenda, quæ sequentibus articulis expediemus.

ARTICULUS I.

Utrum prius fuerint assumpta partes humanitatis, quam tota humanitas, & anima Christi prius fuerint unita Verbo, quam corpus?

§. I.

Quibusdam præmissis, utraque difficultas resolvitur.

Suppono primo, non esse questionem de prioritate reaturationis, seu temporis, sed solum de prioritate nature: nam de fide certum est, animam, corpus, & humanitatem, simul tempore fuisse assumpta a Verbo; ita ut nec anima prius tempore quam corpus, nec corpus prius quam anima, neque anima & corpus, prius quam humanitas ex illis constans sint assumpta, sed simul & in eodem instanti in quo fuit producta in Virginis utero Christi humanitas, seu in quo fuit creata anima Christi, & unita carni, unde resultat ipsa humanitas, fuerunt hæc omnia assumpta. Quare Concilium V. generale cau. 2. prohibens errorem Origenis, qui dicebat Christi animam fuisse cum ceteris animabus initio mundi creatam, atque suis operibus meruisse uniri hypostatice Verbo Dei, illicque de facto fuisse unitam, antequam ipsas carni in visceribus B. Virginis conjungeretur, sic ait: Si quis dicit aut sentit, animam Domini præexistisse, unitamque esse Deo Verbo, ante incarnationem & natiuitatem ex Virgine, anathema sit. Eundem errorem impugnat S. Thomas hic art. 3. ex eo quod inde sequeretur quod anima Christi aliquando habuisset propriam subsistentiam sine Verbo, & sic cum fuisset a Verbo assumpta, non esset facta unio secundum subsistentiam, vel corrupta esset subsistentia animæ præexistens, quorum utramque est inconveniens.

Suppono secundo, esse hic sermonem de proprietate nature secundum ordinem executionis: certum enim & indubitatum est, totam naturam humanam, ordine intentionis, prius natura fuisse assumptam, quam partes: Nam ut ait S. Doctor hic art. 5. Secundam intentionem facientis prius est completum quam incompletum, & per consequens totum quam partes. Quæ ratio potest sic proponi, & magis illustrari. Ordine intentionis illud fuit prius natura assumptum, cuius assumptio fuit per se prius intentio: At primo intentio fuit assumptio humanitatis, quam partium: in hoc enim mysterio per se primo intentum fuit, ut Verbum fieret homo: quod vero partes fuerint assumptæ, ideo fuit, quia ad componendam humanitatem sunt instituta: Ergo ordine intentionis tota humanitas prius fuit unita, quam partes. His præmissis

Dico primo, ordine executionis prius natura fuerunt assumptæ a Verbo partes humanitatis, quam tota humanitas.

Probat primo conclusio ratione fundamentali. Eodem modo communicata fuit subsistentia divina (mediate qua facta fuit assumptio) toti humanitati, & ejus partibus, quo eius convenit subsistentia humana eis connaturalis: Sed subsistentia humana in ordine executionis prius natura convenit animæ rationali, deinde corpori cui unitur per informationem, & deinde toti humanitati ex utroque resultat: Ergo ordine executionis prius natura fuerunt assumptæ partes humanitatis, quam tota humanitas. Major patet, nullam enim est fundamentum inveniendi in assumptione humanitatis ad Verbum, modum & ordinem naturalem, cum non sit multiplicanda miracula sine necessitate, & gratia non minus abhorreat a superfluo, quam natura. Minor vero probatur ex D. Thoma 1. p. quæst. 76. artic. 1. ad 5. ubi ait: Anima illud esse in quo subsistit, communicat materiam corporali, ex qua & anima intelligitur

se sentiri, ita quod illud esse quod est totius compositi, etiam ipsius animæ quod non accidit in aliis formis, quæ non sunt subsistentiæ: & propter hoc anima humana remanens in suo esse, destricto corpore, non alia forma. Et spiritualibus creaturis art. 2. ad 3. habet (inquit) anima esse subsistentem in quantum esse suum non dependet a corpore, utpote supra materiam corporalem elevatum, & tamen ad hujus communicationem recipit corpus, ut sic sit unum esse anima & corpus, quod est esse hominis. Item in 1. dist. 8. quæst. 5. art. 2. ad 2. hæc scribit: Anima sine dubio habet in se esse perfectum, quatenus hoc esse non resultat ex partibus quiddamque componentibus ipsius, nec per conjunctionem corporis officitur ibi aliquid aliud esse, tamen hoc ipsum esse quod est anima per se esse conjuncti, esse enim conjuncti, non est nisi esse ipsius forme. Quibus verbis S. Doctor aperte docet, subsistentiam humanam prius natura convenire animæ rationali, quam toti humanitati. Ratio etiam id suadet, nam anima rationalis fit per creationem: Ergo per illam accipit esse subsistentem, & non per generationem: Sed per hoc quod unitur corpori, non amittit illud esse, alias frustra produceretur a Deo per creationem: Ergo prius natura subsistit, quam unisur corpori, subindeque prius natura illi convenit subsistentia, quam toti humanitati.

Probat secundo conclusio: Per animam rationalem constituitur humanitas in esse humanitatis, & consequenter in esse assumptibilis: Ergo est medium quo humanitas fuit assumpta a Verbo. Similiter corpus est causa materialis constitutens humanitatem: Ergo etiam est medium quo tota humanitas unitur Verbo Divino. Probat Consequentia; quod enim constituit humanitatem in ratione totius, reddit eam in suo genere aptam, ut complete subsistat: Ergo etiam ut aliena subsistentia personam constituentem terminari possit.

Tertio suaderi potest conclusio hac ratione: Ordo intentionis & ordo executionis in essentialiter subordinatis (qualiter sunt partes & totum) opposito modo se habent, ita ut quod est primum in intentione, sit ultimum in executione, & e contra: Ergo cum intentione prius sit assumpta humanitas, quam ejus partes, ut supposit. 2. ostendimus, in executione prius assumptæ sunt ipsæ partes, quam tota humanitas.

Dico secundo: Verbum divinum prius natura assumpsit animam quam corpus. Ita S. Doctor hic art. 1. ubi sic ait: Secundum ordinem causalitatis ipsa anima est aliquoties causa carnis uniendæ Filio Dei: non enim esset assumptibilis, nisi per ordinem quem habet ad animam rationalem, secundum quem habet quod sit caro humana.

Ratio etiam suffragatur: Illud enim fuit prius natura assumptum a Verbo, quod prius habuit per illud subsistere & existeret: At anima prius natura habuit a Verbo quod subsisteret & existeret, quam corpus: Ergo anima prius natura fuit assumpta a Verbo, quam corpus. Major patet, Minor probatur. In assumptione humanitatis Verbum Divinum, ut supra dicebamus, servavit, quantum fieri potuit, ordinem qui in generatione hominis servatur: quia non sunt multiplicanda in hoc mysterio miracula sine necessitate: Sed in generatione hominis anima rationalis prius natura subsistit, quam corpus, ut ex supra dictis patet, & demonstrari solet in Philosophia: Ergo anima Christi prius natura habuit a Verbo quod subsisteret, quam corpus, subindeque prius natura fuit assumptum, quam corpus.

Quæ querunt hic aliqui, an illa fuerit prius assumpta ut quod, vel solum ut quo?

Respondetur breviter, hæc difficultatem pendere ex alia que in metaphysica agitatur solet, an scilicet anima rationalis actu unita corpori subsistat ut quod, vel tantum ut quo? In cuius resolutione divisi sunt Theologi, aliis partem affirmativam, aliis negativam tenentibus. Sed pro conciliatione utriusque sententiæ

Advertendum est, dupliciter aliquid posse dici subsistere ut quod. Primo prout idem est existeret per se separatam, ut frequenter docet S. Thomas: & in hoc sensu anima communicata corpori, non subsistit ut quod, cum sit in alio tanquam pars in toto. Secundo dicitur aliquid subsistere ut quod, quia non dependet ab alio ut a subiecto, vel etiam ut a principio formali essendi; & hoc secundo modo anima rationalis, etiam ut conjuncta corpori, & ipsam informans, subsistit ut quod, quia habet esse independentem a materia, & est principium formale essendi & subsistendi ipsi corpori, & toti composito: cum enim produceretur per creationem, per illam accipit propriam existentiam & subsistentiam, quam non amittit per hoc quod conjungitur corpori, sed potius illam communicat non solum corpori, sed etiam toti humanitati. Unde in hoc distinguitur anima rationalis ab aliis formis corporeis & materialibus, quod illæ non subsistunt vel existunt per existentiam aut subsistentiam propriam, sed totius compositi, quod generans primo communicat toti composito, secundo forme, & mediante forma materie. Anima vero rationalis recipit immediate a Deo propriam subsistentiam & existentiam, quam communicat corpori,

& toti humanitati; unde anima rationalis, etiam dum est conjuncta corpori, subsistit & existit ut quod. Cum ergo (ut sepe diximus) anima Christi, eodem modo sit facta subsistens per subsistentiam Verbi, quod fuisse subsistentia subsistentia creata, & sibi propria, dicendum est, animam Christi fuisse prius natura assumptam, quam corpus & totam humanitatem, non solum ut quo, sed etiam ut quod. Ipsum vero corpus solum fuit prius natura assumptum ut quo, non vero ut quod, quam tota humanitas; non enim eadem est ratio de corpore, ac de anima rationali: nam anima creatur a Deo per actionem specialem distinctam a generatione, vel productione totius, non autem corpus: unde quando generatur homo, datur animæ subsistentia independentem a subsistentia totius humanitatis, non autem corpori, quod non subsistit, nec existit, nisi per subsistentiam & existentiam ipsius animæ rationalis.

Dices: Eundem profus ordinem servavit Verbum Divinum in prima assumptione humanitatis, ac in re assumptione facta in resurrectione, nulla enim videtur ratio disparitatis: At in resurrectione sic humanitas fuit re-assumpta, ut tamen utraque ejus pars, anima scilicet & corpus, prius existerent & subsisterent ut quod: Ergo idem erit dicendum de prima assumptione.

Respondetur negando Majorem; nam in prima assumptione Verbum Divinum servavit, quantum fieri potuit, ordinem proportionatum ordini nature, juxta quem corpus non debuit prius assumi ut quod, cum propria subsistentia & existentia non gaudeat, sicut anima: At in re assumptione facta in resurrectione, non potuit ille ordo servari, quia dissoluta per mortem humanitate, utraque ejus pars ab invicem separata, subsistebat & existerat ut quod per subsistentiam & existentiam Verbi.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primo contra primam conclusionem. Assumptio facta est per communicationem divinæ subsistentiæ, quæ eodem modo & ordine debuit communicari humanitati, quo propria & conaturalis, ut enim supra dicebamus, non sunt multiplicanda miracula sine necessitate: Sed subsistentia creata prius convenit toti humanitati, quam ejus partibus; quia convenit tantum partibus propter naturam totalem, & maxime parti materiali, quæ non potest subsistere nisi in toto: Ergo partes humanitatis non fuerunt prius assumptæ in executione, quam tota humanitas.

Confirmatur: Personalitas Verbi Divini est perfecta & completa: Ergo prius natura debuit communicari subsistentiæ completæ, qualis est tota humanitas, quam subsistentiæ incompletæ, qualis est anima rationalis, vel corpus, & per consequens partes non fuerunt prius natura assumptæ, quam tota humanitas.

Ad objectionem respondeo, concessa Majori, negando Minor: Licet enim in compositis pure corporeis & materialibus, prius conveniat toti subsistere & existeret, quam ejus partibus; in homine tamen prius in executione convenit partibus humanitatis subsistere & existeret, quam toti humanitati; anime quidem rationali, quia creatur, creatio autem terminatur ad esse; corpori vero, quia prius natura informatur anima rationali, subindeque ejus subsistentiam & existentiam prius natura participat, quam tota humanitas resultat. Unde pro illo priori tam anima quam corpus intelliguntur subsistere in seipsis, & non in toto, quævis nullam sit reale instans, quod non subsistat in toto.

Ad confirmationem, concessa Antecedente, neganda est Consequentia: nam personalitas Verbi Divini, licet sit perfecta & completa, tamen ob infinitam suam perfectionem & eminentiam, potest uniri cuicumque subsistentiæ, sive completæ, sive incompletæ, eique se accommodare eodem modo ac si esset propria ejus & conaturalis, quia eminenter continet quæcumque personalitatem creatam. Unde in triduo mortis Christi manit unitum anima & corpori separatim, quævis essent subsistentiæ partiales & incompletæ.

Obijcies secundo contra secundam conclusionem: Unam partem assumi posterius natura, quam aliam, est eam assumi mediante illa: At corpus non fuit assumptum mediante anima: Ergo non fuit assumptum posterius natura quam illa. Major patet, Minor probatur. Si Verbum Divinum assumpsisset corpus mediante anima, sequeretur quod hoc ipso quod per mortem separata fuisset anima a corpore, dissoluta fuisset unio ipsius corporis cum Verbo; quoties enim aliqua inter se uniantur aliquo medio, si unum separaretur ab altero, dissolveretur unio: sicut remota superficie, remouetur color a corpore, quia illi inest, mediante superficie: Consequens autem esset illam, quia corpus in triduo fuit separatum ab anima, & tamen manit hypostatice unitum Verbo Divino: Ergo Verbum non assumpsit corpus mediante anima.

Respon.

16 Respondere concessa Majori, negando Minorem, ad cuius probationem negatur sequela, & ad illius probationem, dicendum cum S. Thoma hic art. 1. ad 3. quod nihil prohibet aliquid esse causam altius, quantum ad aptitudinem & congruitatem, quae tamen remota illud non tollitur; quia est fieri aliquid dependeat ab alio, postquam tamen est in facto esse, ab eo non dependet: sicut si inter aliquos amicitia causatur, aliquo mediantur, eo cedente, adhuc amicitia remanet; & si aliqua in matrimonium ducitur propter pulchritudinem, quae facti congruitatem in muliere ad copulam conjugalem, tamen pulchritudine cessante, adhuc durat copula conjugalis. Ita similiter separata anima, remanet unio Verbi ad carnem.

ARTICULUS II.

Utrum gratia habitualis habeat rationem medii, seu dispositionis physicae, aut moralis, ad unionem hypostaticam?

17 Affirmant Aletius, Gabriel, & alii antiqui Theologi, ex hoc inferentes solum naturam intellectuales, quae est capax gratiae & beatitudinis, posse assumi a Persona Divina. Negat vero D. Thomas hic art. 6. & quae seq. art. 13. & supra q. 2. art. 10. quem sequuntur communiter Theologi tam domestici, quam extranei, cum quibus

Dico, gratiam habituales in anima Christi existentem, non habuisse rationem medii, seu dispositionis physicae, aut moralis, ad unionem hypostaticam cum Verbo: posse tamen dici medium congruentiae respectu huius unionis.

18 Prima pars probatur: Dispositio physica & ex natura rei, debet esse ejusdem ordinis cum forma ad quam disponit, scilicet illam necessarium secum trahere, omniaque quae illius introductionem impediunt destruere: Sed gratia habitualis non habet tres illas condiciones, respectu unionis hypostaticae: Ergo non est, nec dici potest dispositio physica, respectu illius. Major patet exemplo dispositionum naturalium; videmus enim calorem ut octo esse ejusdem ordinis cum forma ignis, illamque secum necessario trahere, & frigus ac humiditatem, quae ejus introductionem impediunt, proflus expellere. Minor vero suadet quantum ad singulas partes. Et in primis quod gratia non sit ejusdem ordinis cum unione hypostatica, patet: ergo enim hypostaticus est superior ad ordinem naturae & gratiae, & cum infinitam Verbi Divini personalitatem involvat, utrumque ordinem veluti in infinitum excedit. Quod vero gratia, nec hypostaticam unionem secum infallibiliter trahat, nec illius impedimenta destruat, facile suadet: nam gratia habitualis ordinatur tanquam ad finem ad beatitudinem a cuius ademptionem habet quod sit consummata; ad unionem vero personalem cum Verbo, nullo pacto ordinatur; unde quantumcumque gratia crescat in anima justi, nunquam tamen infallibiliter habet junctam unionem illam hypostaticam. Insuper ut destruat impedimenta talis unionis, necesse esset ut propriam naturam creatae personalitatem consumeret, plerumque cum illa incomposita: certum est autem gratiam sanctificantem id non praestare, sed potius illam, ut cetera dona supernaturalia, subiectum suum naturale perficerent.

19 Probatur secundo eadem pars: Gratia habitualis est forma in anima, & tamen non solum anima Christi, sed etiam corpus ejus, unitum est divinae personae, propter quod dicitur plenitudo divinitatis habitasse in Christo corporaliter, ut docet D. Thomas supra q. 2. art. 10. ad 2. Ergo gratia sanctificans non est dispositio physica & ex natura rei ad unionem hypostaticam requisita. Adde quod quilibet natura, etiam irrationalis, assumptibilis est a Persona Divina, ut dispositiones praecedentem ostensum est, tamen natura irrationalis non est capax gratiae habitualis, sicut nec gloria: Ergo &c.

20 Probatur etiam secunda pars conclusionis: Quilibet dispositio, etiam moralis, debet antecedere aliquo modo formam ad quam disponit: At gratia habitualis nullo modo antecedit unionem hypostaticam, sed illam subsequitur: Ergo non potest dici dispositio moralis, respectu illius. Major patet: nam dispositio moralis ea est, quae ut existens movet intellectum & voluntatem agentis ad inducendam formam in subiecto: Ergo prius existit quam illa. Minor vero probatur a D. Thoma quaestione sequenti art. 13. triplici ratione, & potest insuper suaderi. Christi anima eo naturae ordine habuit subsistere in Verbo, quo de se debuisset subsistere propria subsistentia, si ab illo assumpta non esset: At si assumpta non fuisset ad subsistentiam Verbi Divini, prius natura habuisset subsistere sua subsistentia, quam recipere gratiam sanctificantem, cum anima prius debeat compleri substantialiter, quam accidentaliter perfici per gratiam: Ergo etiam prius natura est, quod humanitas Christi per gratiam unionis in Christo subsistat, quam per gratiam habituales sanctificetur, & periciatur accidentaliter.

21 Adde, quod si gratia habitualis antecederet in aliquo priori temporis aut naturae unionem hypostaticam, in il-

lo priori constitueret Christum filium Dei adoptivum, & sic Christus prius esset filius Dei adoptivus, quam naturalis, quod est erroneum. Sequela probatur. Proprius effectus gratiae habitualis est constituere subiectum suum, filium Dei adoptivum, nisi a filiatione naturali praevenerit & impediatur: At si gratia habitualis praevenerit in Christo gratiam unionis, non praevenerit, nec impediatur a filiatione naturali, nec constitueret Christum filium Dei adoptivum: Ergo Christus prius esset filius Dei adoptivus per gratiam habituales, quam naturalis per unionem hypostaticam.

Confirmatur: Dispositio moralis illa dicitur, cuius intuitu forma subiecto tribuitur: Sed gratia unionis non est concessa Christo intuitu gratiae habitualis, sed potius e contra intuitu & ratione unionis hypostaticae, data sunt Christo charismata omnium gratiarum, juxta illud Joann. 1. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae & veritatis. Ubi ex filiatione naturali inierit Evangelista plenitudinem omnium gratiarum, quae in Christo ex unione personali cum Verbo, tanquam rivuli e fonte promanant. Quare gratia habitualis potest vocari medium congruentiae, respectu unionis hypostaticae; non quidem illam antecedens, sed consequens, in quantum scilicet decens & congruum fuit, quod Verbum Divinum assumeret humanitatem repletam gratia, & omnibus virtutibus ac donis exornatam: sicut in virgine Principi dispensata, annuli, jocalia, & ceteri ornatus, possunt dici medium congruentiae, in quantum reddunt illam Principi congruam. Unde S. Doctor in 3. dist. 2. quest. 2. art. 2. in corp. In natura humana invenitur quaedam superadditio, quibus redditur decens ut assumatur a Divina Persona, ut scientia, virtutes, & hujusmodi, unde ipsa possunt quodam modo dici medium congruentiae. Et ibidem ad Annibal. dum quae unica artic. 2. sic ait: Loquendo de medio congruentiae (Verbum Divinum) animam mediante gratia assumptis, quia congruum erat animam suam imagine inspicere, & gratia repletam assumere. Item quest. 29. de veritate art. 2. expresse asserit, quod gratia habitualis fuit dispositio per modum congruitatis ad unionem hypostaticam humanitatis Christi cum Verbo. Ex quibus probata manet tertia pars nostrae conclusionis.

Obijciat contra primam partem: Omne quod elevatur ad formam naturam suam excedentem, debet prius aliqua dispositione preparari, & reddi capax illius, ut docet D. Thom. 1. p. quest. 12. art. 6. & explicit exemplo aeris: aer enim ut recipiat formam ignis, quae est supra ejus naturam, debet disponi ad illam per calorem excedentem suam naturam, & corpus ut recipiat formam lucis, debet disponi per diaphaneitatem: Sed unio hypostatica est supra naturam humanitatis Christi: Ergo ut ad illam elevetur, habet aliqua dispositione preparari & coaptari, quae nulla alia esse potest quam gratia habitualis.

Confirmatur primo: Ut divina essentia per modum speciei uniat intellectui creato, oportet quod ipse intellectus ad talem unionem disponatur per lumen gloriae, ut docet D. Thomas loco citato: Ergo cum humanitas non minus distet a divina subsistentia & personalitate, ut ipsi conjungatur per unionem hypostaticam, oportet quod per gratiam habituales ad illam disponatur & preparatur.

Confirmatur secundo: Ordo divinae sapientiae postulat ut quae maxime distant non uniantur immediate, sed per aliquid quod minus distet ab utroque extremo, teneaturque medium locum inter illa: At humanitas & personalitas Verbi Divini, maxime distant inter se, & inter illas medium locum tenet gratia habitualis: Ergo humanitas non fuit unita immediate Verbo, sed media ipsa gratia. Major patet: nam ad extremum in extremum non fit transitus sine medio. Minor vero probatur: Humanitas est substantia aliqua finita, ordinisque naturalis, & personalitas Verbi est quid infinitum, & ordinis supernaturalis: Gratia vero habituales, licet sit entitas aliqua finita, est tamen supernaturalis, & perfectissima participatio divinae naturae: Ergo medium tenet locum inter humanitatem Christi, & personalitatem ejus.

Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: Quod elevatur ad formam perquam constituitur in ratione operantis, & a qua habet solum esse secundum quid, concedo Majorem. Si elevatur ad formam, per quam constituitur in ratione hypostaticae seu personae, & a qua habet esse simpliciter, & personale, nego.

Explicatur solutio: Si natura aliqua elevetur in ordine ad operationem, debet disponi per habitum, vel per aliquid aliud quod potentiam compleat in actu primo, sicut sancta gloria elevat intellectum beati ad operationem ad quam natura intellectiva non est sufficienter completa, nimirum ad visionem beatificam. Si autem natura elevetur ad esse simpliciter, ad quod immediatum ordinem habet, non est necesse quod prius recipiat aliquem habitum aut dispositionem per quam compleatur. Unde quia substantia creata immediatum ordinem habet ad subsistentiam a qua recipit esse simpliciter, nulla eget dispositione ad illam, neque ad aliam loco propriae subsistentiae: quapro-

quapropter ut humanitas Christi, personalitati Verbi uniat, nulla eget dispositione & preparatione, sed sola potentia obedientialis ad illam recipiendam sufficit.

27 Hic patet solutio ad primam confirmationem, & disparitas quae reperitur inter essentiam divinam, ut gerentem vires speciei in visione beatifica, & inter subsistentiam Verbi Divini, ut terminantem humanitatem Christi: Nam essentia divina, cum unito intellectu creato per modum speciei, unitur illi per modum principii visionis beatificae, & consequenter debet supponere ipsum intellectum potentem in suo genere, nimirum per modum potentiae, ad elicendam talem operationem, species enim non unitur, nisi potentiae iam habenti sufficientem virtutem in suo genere ad elicendum actum ad quem determinatur per ipsam: intellectus autem creatus non habet sufficientem virtutem in suo genere ad elicendam visionem Dei, nisi per lumen gloriae: ut in Tractatu de visione beatifica ostensum est. Ceterum personalitas Verbi unitur humanitati Christi per modum complementi & termini illius in genere substantiae ac proinde immediate, & antecedenter ad quodcumque accedens disponens ad talem unionem.

28 Ad secundam confirmationem, distinguo Majorem: Ordo divinae sapientiae postulat ut quae maxime distant non uniantur immediate, si illa inter se comparantur per modum potentiae & actus, seu operativi & operationis, concedo Majorem. Si se habeant per modum terminantis & terminabilis, nego Majorem; nam illa quae sic comparantur, habent immediatum ordinem, praesertim quando id quod terminat dat esse simpliciter, ut contingit in proposito; subsistentia enim Verbi dat humanitati esse simpliciter, subindeque natura humana nullo indiget habitu aut dispositione, per quam compleatur & preparatur ad illam recipiendam, sed sola potentia obedientialis sufficit, ut supra ostendimus.

DISPUTATIO XI.

De Gratia Christi Substantiali.

Hic agitur de Incarnationis Mysterio, seu de unione hypostatica, & extremis ad illam concurrentibus, persona nempe Verbi assumentis, & natura humana assumpta. Agendum modo est de concomitantibus talem unionem, quorum aliqua pertinent ad perfectionem, ut gratia, scientia, & potentia animae Christi, alia vero ad defectus corporis & animae, quos Christus in humana natura assumpsit. Porro gratia Christi, de qua differit Sanctus Doctor quest. 7. & 8. duplex est: altera substantialis, nempe unio Verbi cum natura humana, per quam humanitas Christi minime sanctificatur; altera accidentalis, sed etiam a Christo ut capite & vite, in alios sanctos, ut in membra & palmis derivatur, unde a Theologis in personalem & capitalem distinguitur. Antequam ergo de scientia & potentia animae Christi differamus, agendum est de triplici ejus gratia, quam D. Joannes capite primo sui Evangelii breviter insinuavit. Nam de gratia substantiali & unionis dicit: Verbum caro factum est. De gratia Christi, ut singularis persona, subdit: Vidimus eum plenum gratia & veritate. Demum gratia capitalis illius insinuatur, cum infra dicitur: De plenitudine ejus nos omnes accepimus.

ARTICULUS I.

Utrum humanitas Christi sanctificetur formaliter per aliquod donum substantiale, a gratia habituali distinctum?

1 Partem negativam tenent Paludanus in 3. dist. 13. q. 2. conclus. 1. Durandus eadem dist. quest. 1. num. 8. & Rada 3. p. controv. 4. art. 3. conclus. 4. ubi ait esse Scoti sensum communem. Sententia tamen affirmans ab aliis Theologis, tam domesticis, quam extraneis communiter recipitur, & colligitur ex Conciliis & SS. Patribus, atque insinuatur a D. Thoma variis in locis, §. sequenti referendis.

S. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur: Humanitas Christi Domini est grata & sancta formaliter, per aliquod donum substantiale, a gratia habituali distinctum, nimirum per gratiam unionis. Colligitur ex D. Thoma hic quest. 7. art. 1. ubi ostendit necessitatem gratiae habitualis in anima Christi Domini, primo ex propinquitate illius ad Verbum, secundo ut esset connaturaliter principium cognitionis & amoris in ordine supernaturali; tertio ex habitudine ipsius Christi ad genus humanum, cujus est caput: non solum probat ne-

cessitatem gratiae habitualis ex eo quod in Christo requiratur aliqua forma perquam ejus anima formaliter sanctificetur: At si non sanctificaretur humanitas Christi, ex vi doni substantialis formaliter, sed solum per gratiam habituales, illius necessitate probaret ob effectum sanctificationis praestandum, cum sanctitas animae sit praecipuus effectus gratiae habitualis a quo sanctificatio appellatur: Ergo manifeste sentit, ad hunc effectum illam non fuisse absolute necessariam in Christo, & consequenter ex vi doni substantialis distincti a gratia habituali, nempe gratiae unionis, humanitatem Christi sanctificari formaliter. Unde infra quest. 22. art. 2. ad 3. ait illam in passione habuisse virtutem hujus sanctificationis, ex antiqua caritate, & gratia unionis sanctificante cum absolute.

Favent etiam Concilia & SS. Patres; nam Concilium Francofordiense in Epistol. ad Episcopos Hispaniae, sic ait: Christus natura unicus, non per gratiam, quia in illo plane fuit divinitas. Et Cyrillus lib. 4. in Joannem dicit: Christum unicum esse, non sicut alios sanctos & Reges, sed quia Verbum caro. Item Nazianzenus orat. 36. fere in fine, de variis Christi nominibus agens, quae ei in Scriptura tribuuntur: Christus (inquit) dicitur propter divinitatem, eo enim unicus est humanitatis, non operatione, ut in Christi ererit, unicus, sed totius unigenitus praesentis caelestis effectus est, id quod unicus, homo nuncupatur, & quod unicus Deus fiat. Et idem subdit, Christum esse divinitate delibatum, hac enim humanitatis unio est. Similiter Damascenus lib. 1. de imaginibus ait, quod humanitas Christi, non operatione Dei unio est, ut unusquisque Prophetarum, sed totius unigenitus praesentis. Demum Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in contemplatione mystica rerum Ecclesiasticarum, Christum dicit unicum esse tanquam Regem & Sacerdotem, unione Incarnationis. Ex quibus locis sic licet arguere: Apud Patres Ecclesiae idem est esse unicum ac sanctum formaliter, unde justis, Christi vocatur, juxta illud Psalmi 104. Nolite tangere Christum meum: Sed Christus, in quantum homo, est substantialiter unicus a divinitate, quae, ut ait Nazianzenus, humanitatis unio est: Ergo Christus, in quantum homo, est substantialiter sanctus per aliquod donum a gratia habituali distinctum.

Dices: Nazianzenum & alios SS. Patres afferentes divinitatem esse unitionem humanitatis, non esse intelligendos in sensu formali, quasi ipsa divinitas sic formaliter ratione sui unio humanitatis, sed in sensu causali, quatenus scilicet ex unione divinitatis cum humanitate, derivatur & refertur in anima Christi gratia habitualis, qua humanitas ejus formaliter ungitur, & formaliter sanctificatur.

Sed contra: Si divinitas solum casualiter sanctificaret humanitatem Christi, sanctificaretur operatione divina cum gratia formaliter sanctificans illam, a divinitate efficienter causeret: Sed Nazianzenus & Damascenus dicunt, quod divinitas est unio humanitatis, non operatione, ut in aliis Christi, sanctificans, sed totius unigenitus praesentis: Ergo divinitas non casualiter tantum, sed etiam formaliter, est unio & sanctitas humanitatis Christi.

Confirmatur: Juxta Nazianzenum aliter comparatur divinitas ad humanitatem Christi in ratione uniois & sanctitatis, ac ad alios homines justos: Sed divinitas est aliorum justorum sanctitas & unio casualiter: causat enim in illis gratiam qua ungitur & sanctificantur formaliter: Ergo divinitas est unio & sanctitas formalis, & non solum casualis humanitatis Christi.

Potest etiam conclusio hac ratione suaderi. Ex vi gratiae unionis sanctificatur formaliter humanitas Christi: Sed gratia unionis est aliquid substantiale a gratia habituali distinctum: Ergo humanitas Christi sanctificatur formaliter ab aliquo substantiali, distincto a gratia habituali. Minor patet, Major probatur. Homo per gratiam habituales habet quod sit formaliter sanctus: primo quia per illam trahitur ad esse divinum, seu ad participationem divinae naturae, quae est ipsa sanctitas per essentiam; secundo, quia per illam filius Dei constituitur; tertio, quia talis gratia habet repugnantiam cum peccato: At haec tria multo perfectius conveniunt gratiae unionis: Ergo per illam humanitas Christi sanctificatur formaliter. Major patet, Minor vero suadet quantum ad singulas partes. In primis enim per gratiam unionis humanitas Christi multo perfectiori modo trahitur ad esse divinum, quam gratiam habituales; nam per illam trahitur ad esse divinum in se; per illam vero trahitur ad esse divinum solum per participationem. Deinde Christus ut homo, per gratiam unionis fit nobiliori modo Dei filius, quam justus per gratiam habituales; cum per gratiam unionis Christus filius Dei naturalis, & justus per gratiam habituales, filii solum adoptivi constituantur. Item unio hypostatica majorem habet impossibilitatem cum peccato, quam gratia habitualis, ut patet infra, cum agemus de Christi impeccabilitate: Ergo &c.

Confirmatur: Donum in radice continens omnia alia dona ad ordinem gratiae spectantia, reddit subiectum amabilius dilectum a Deo, in quo consistit esse sanctum forma-